

est: *Opportune, importune*, inquit S. Hieronymus, in cap. XI. *Eccles. suo tenore Dei sermo est prædicandus, nec fidei tempore adversarum nubium consideranda tempestas, etc.*

V. Quamvis tam virtuosum sit hoc granum, interim tamen minimum et tam vile est, ut nec in terra quis elevare id dignetur; neque etiam præratum saporem, nec colorem nec odorem præstat. Pari modo verbum Dei tanta licet virtute præditum, apud plurimos mortales vile et contemptui habetur; quia nimirum reprobis communem resurrectionem, extremum iudicium et gehennam perpetuo inculcat. Nimirum: « Uti vires rosas projiciunt et lutum querunt, perdices et bellaria respuunt, et glandibus agrestibus atque immunditiis avidissime pascuntur; sic immites homines verborum Dei gustum non habent et ad mundi opes incertas aspirant, » ut ait Hector Pintus, in cap. III. *Ezech. Sues dicuntur unguento præfocari*, inquit D. Chrysostomus, hom. V. in II. ad Corinth. Atqui unguentum est Dei verbum, de quo apostolus, II. Corinth. V. *Aliis quidem, ait, odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Odor vitæ erant apostoli gentibus, Dei verbum suscipientibus; odor mortis Judæis, id respicientibus: quibus dixit apostolus, Act. I. *Vobis oportet primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis æterna vita, etc. convertimus ad gentes.* Prævidit hanc mirabilem commutationem Isaias, c. XXVIII. cum dixit: *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, vulsos ab uberibus, h. e. eos, qui instar parvulorum, nuper a lacte subtractorum, recipiunt disciplinam, et patiuntur sese instrui; quales erant gentiles, rudes et ignari rerum divinarum. At vero ne Judæis, qui Dei verbum tamquam nasuti irriserunt et repulerunt, subdit: Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi, ut vadant et cadant retrorsum, et conlerantur, et illaqueantur, et capiuntur, q. d. quia loties verbum meum frustra ad eos misi, tamque diu ipsos, ut audirent illud, sustinui; debebunt iam et ipsi me expectare, sed ad suam perditionem, ut cadant non prorsum, quo se sublevent, sed retrorsum, quo cervicem frangunt ad instar illius Heli, quia et ipse sermones Domini proiecerat retrorsum, et magis honoraverat filios suos, quam Deum, I. Reg. IV. Qui in faciem cadunt, vident quo cadant, atque ad resurgendum facile se juvare possunt; non ita qui in dorsum corruunt. Certe taurus cum resupinus in tergum cadit, adeo terræ affixus hæret, ut pueris ludibrio fiat, teste sanctio, in locum illum Isaiæ. Sic Judæi ceciderunt*

de quibus Psal. XXI. ait propheta in persona Christi: *Tauri pingues obsederunt me.* Jacent jam tot sæculis usque in hodiernum resupini illi tauri et miseri Judæi, et derisui sunt vel pueris. Jacent contracti *velut vas figuli, quod non potest ultra instaurari*, Jer. XIX. Jacent illaqueati suis erroribus et superstitionibus, captivi in suis sceleribus, rei mortis æternæ. Vos ergo Christiani, ne in similem maledictionem incidatis, amate verbum Dei, hoc sinapis grano omnes vestros cibos, opera omnia condite.

CONCIO II.

ALIIQUOT SINAPI TEMPERANDIS CONVIVIIIS ET ALIIS MUNDI GAUDIIS.

I. Dei omnipræsentia. — II. Mundi fugacitas. — III. Mortis memoria. — IV. Memoria iudicii.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Math. XIII.

Nihil fere usitatus, quam hoc tempore ad mensas et convivias præsertim inter alia ciborum condimenta, etiam sinapi apponere in parvis scutellis. Mirari hoc quis posset, cum liquor ille sinapis et aspectui inamœnus, et gustui sit acerrimus, adeo ut immodice sumptus lacrymas excutiat. Verum respondebitur ad hoc, sinapi ad mensam poni, non quia colore aut sapore gratum sit, sed quia salutare; siquidem purget caput, stomachum quoque juvet ad digerendos crudiores cibos, denique dulciores acrimonia sua temperet. Bene est, acquiesco. Jam vero quam ob causam conqueruntur aliqui, quod plerumque concionatores ingrata multa prædicent, tristia quoque et amara suis concionibus inserant, quæ et aures feriant, et corda contristant? His enim respondeo cum S. Hieronymo, in hodierno evangelio, prædicationem evangelii esse granum sinapis de quo hic loquitur Christus; quare eam instar sinapis ingratam quidem, valde tamen salubrem esse; ut quæ intellectum ab erroribus expurget, voluntatem quoque ad dura quæque et aspera concoquenda et perfrendenda confortet, denique hujus mundi delicias ac voluptates sua asperitate temperet, ne illis cæci mortales nimium se immergant, et in iis pereant. Quoniam igitur hoc hiemali tempore plurima convivias passim celebrari, et collectæ fruges sæpe immoderate prodigi nimio epularum luxu solent, apponemus illis hodie aliquot patellas parvulas, sinapi refertas.

I. *Dominus videt.* Hoc nomine appellavit Abraham montem, in quo jussus fuerat immolare filium suum, Gen. XXII. Hebr. *moria*, id est, *visio*, quia scilicet visio seu oculus Dei semper vigilans compulsi ipsum patrare facinus omni ævo admirandum, utpote difficillimum et naturæ humanæ repugnantissimum, ut mactaret filium suum unicum et dilectissimum. Itaque accepto illo Dei mandato Abraham cum filio de nocte surrexit, stravitque asinum suum, et perrexit ad montem sacrificio destinatum, ut ibi exequeretur Dei mandatum. Quare non potius fugit sicut Jonas? Quia *Dominus videt.* Quare non monet filium, ut fuga sibi ipse consulat? Quia *Dominus videt.* Quare non substituit Ismaelem vel alienum filium pro Isaaco suo? Quia *Dominus videt.* Quare non mandat executionem alteri? Quia *Dominus videt.* Dominus, inquam, qui hoc mandavit, qui vel morigerum præmiabit, vel immorigerum damnabit. En quo non adegit Abraham oculus Dei, ipsi attendens, ipsi invigilans! Ad hunc ergo et tu quicumque es, attende mi homo, cum in convivio sedes, cum inter mundi gaudia et delicias versaris, et cogita quia *Dominus videt.* Videt quid agas, quid loquaris, quomodo edas et bibas, ut vel coronam tibi vel gehennam paret. Scio totum mundum esse unum montem *moria*, seu *visionis Dei*: ubicumque es in oculis Dei es: *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus, actusque nostros prospicit a luce prima in vespere.* Unde David, Psalm. LXII. ait: *In terra deserta, in via, et in aquosa, sic in sancto apparui tibi, (Hebr. vidi te).* Ad litteram: Ita in desertis locis habitavi, ac si in sanctuario essem. Admonet hujus rei convivas Ecclesiasticus, cap. IX. his verbis: *Viri justi sint tibi convivæ et in timore Dei sit tibi gloriatio, et in sensu sit tibi cogitatio Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.* Ad quid in convivio cogitatio de Deo, inquires. Ad hoc ut attendas tibi quid loquaris, agas, cogites, quia *Dominus videt* et adest. Jam si juberis servum mensæ ministrantem potitare, vel de epulis quid furari, mox tibi is responderet, quia *Dominus videt.* Rursum si pueri advertant vel etiam suspicentur præsentem esse pædagogum vel magistrum, qui per cancellos cœnaculi eorum acta dictaque omnia notet et observet, abstinet profecto ab iis, quæ non decet: cur non idem agimus omnes, cum sciamus ipsum Deum nobis undique attendere? *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* Cant. II. ubi S. Bernardus: « Præsto, inquit, est oculus, cui omnia patent etsi non patet: ipse vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat:

quem pro acumine visus, capræ assimilavit Scriptura. Hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem. » Vigilem metueres, qui te sub dio in horto prandentem e urri contemplaretur: et non vereamur Deum a cælo nos contuentem? Carolus V. imperator rari artificii horologium habebat, quod in frequenti turba aulicorum a quodam surreptum fuit. Verum dum is forte cœnanti adstat imperatori, horologium in sinu furis tinnitu suo se prodit, et furem Cæsari indicat, simulque metu et rubore tantum non examinat. Qui mox ad pedes imperatoris cadens veniam impetravit, id solum ab ipso audiens: *Timorem spe longe vehementiorem esse affectum.* Refert Aut. Callimachus, in epigram. Quod si auris et oculus imperatoris adeo consternare potuit hominem, qui in furto uno læsit suum dominum, quanto plus poterit oculus et auris Dei, ne ipsum offendamus? Certe conterruit Davidem, semel in furto alienæ uxoris a Deo deprehensum, et per Nathan prophetam, verbo illo: *Tu es ille vir, quasi per tinnitum horologii, manifestatum et confusum, adeo ut supplex veniam precaretur, dicens: Peccavi Domino.* Posthac etiam continuè eum, ne in posterum tale quid amplius committeret; unde dixit Psalm. XV. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Alii legunt: *Non commovebor, q. d. hoc mihi frænum imposui, ne deinceps peccem: proposui me videre Deum a dextris mihi assistentem; sicut filius severum patrem ad mensam sibi assistentem aspicit continue, nec audet se commovere.*

II. *Mundus transit.* Hoc sinapi apponit nobis Sanctus Joannes, in epistola I. cap. I. qui cum dixisset: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, etc.* subjicit causam: *Quoniam mundus transit et concupiscentia ejus.* Audiit aliquando S. Nicolaus Tolentinus, cum esset adhuc canonicus, prædicantem in platea priorem ordinis eremitarum S. Augustini, et inter alia hanc Joannis sententiam allegantem: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, transit enim mundus et concupiscentia ejus.* Quæ sententia adeo mentem juvenis penetravit adeoque inflammavit, ut mox a concione fratrem illum obnixè rogaret, vellet ipsum in suam sodalitatem et ordinem recipere, mundum jam deserere cupientem, uti et factum. Ita habet auctor vitæ ejus, apud Sur. 10. septemb. Neque adeo mirum est, tantum potuisse hanc Scripturam in corde Nicolai, quis enim valde afficiatur aut delectetur ea re, quantumvis pretiosa et delectabili, quam in singula momenta eripiendam sibi novit? Quanto plus enim lætatur in ejus acquisitione, tanto plus tristatur in ejus

amissione. Quis autem diuturnam tristitiam brevi emat gaudio? Projicit se quispiam fervente sole sub arbore in umbram, et sentit refrigerium adeoque obdormit. Verum post unam alteramve horam recedit ab eo umbra: et torretur a sole miser; qui cum evigilarit, umbram abiisse videt, et dolorem in capite sentit; uti sensit Jonas, qui sicuti exorta hedera, umbram exhibente, valde gavisus est, ita ad repentinum ejus interitum maximopere tristatus et pene exanimatus fuit, Jonæ IV. Sic se habent mundi gaudia: una alterave hora durant, et postea relinquunt tristitiam in animo, remorsum in conscientia, ob male perditum tempus, ac sæpenumero etiam dolorem in corpore. Unde David, in Psal. CI. ait: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui. Fenum jam demessum quam cito perdit virorem suum? Hodie est, et cras in clibanum mittitur*, ait Dominus, Matth. VI. Ac propterea sentit D. Chrys. hom. L. in Matth. Christum instituisse illud convivium, quo pavit quinque millia hominum eo loco, ubi multum feni erat, ut discumbere convivæ super viride fenum possent: *Ad sublimiorem philosophiam eos instituens*, inquit, *non enim corporibus solum, verum etiam animis alimenta præbere volebat. Quodnam vero hoc alimentum? Utiq; id, quod Isa. c. XL. dixit: Omnis caro fenum, etc.* quo intelligerent gaudium illius convivii, uti et alia in mundo omnia, instabilia et momentanea esse, nec post se relinquere nisi ariditatem spiritus, et afflictionem animi. Sensit hoc nobilis et copiosus vir, Rolandus nomine, quem pp. Dominicanorum historiæ referunt, cum festum diem totum solemnibus epulis, lusibus et choreis, et reliqua ejus generis vanitate absumpsit, ipse insuper novis vestibus ornatus splendidis ac sumptuosis, tandem vespere ad se reversum ita cogitasse: *Hem ubi nunc est festum, quod egimus? Ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit?* Itaque perpendens secum, ut dies ille transierat, sic transituros et reliquos, vitamque omnem cum sua felicitate, nihilque permansurum præter poenitentiam et dolorem: postero die religionem ingressus est, in qua deinceps multis annis militavit clarus sanctitate et doctrina. Refert noster Platus, de bono statu relig. lib. III. cap. ult. Idem dicere quisque potest ac vere etiam deberet de præteritæ diei gaudio vel convivio. Ubi nunc convivæ, amicæ, conversatio jucunda, joci, risus, musica, propinationes, moriones, gaudium, voluptas? Evanuerunt omnia, nec remanet nisi tristis desolatio, memoria amissi boni, vermis rodens, valetudo afflicta. Heliogabalus imper. folles vento distentos pro subsellis ponebat convivis quibusdam

amicis: quos prandentibus illis reflabat, ut concidentibus repente follibus plerumque sub mensis repente invenirentur convivæ, refert Coelius, lib. XXVIII. cap. VIII. Ita mundus ludit cum convivis suis, et sic olim lusit cum Balthasare, et mille optimatibus ejus qui dum biberent e vasis templi sacris, et laudarent deos suos, a Cyro, Babylonem noctu occupante repente oppressi et occisi sunt, Dan. V. quos idcirco deridet Isa. cap. XXI. verbis illis: *Pone mensam, contemplantur in specula comedentes et bibentes. Surgite principes, arripite clypeum, q. d. frustra speculatores ponitis, frustra jam vos ad resistendum armatis: sero nimis aspiciatis, sero vos armatis: moriendum vobis est: hostis intra mœnia est.*

III. *Mors non tardat.* Monitum hoc est Ecclesiastici, cap. XIV. dicentis: *Memor est, quoniam mors non tardat.* De tabellariis et cursoribus, qui passim in via divertunt ad hospitia et moras necunt, ideoque serius ridere solent, dicimus vulgo, bonos fore cursores pro advocanda morte. Itaque et mortem optamus claudicantem, et quæ moras trahat adventu suo; quales illi qui dicunt Isa. XXVIII. *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, q. d. securi adhuc sumus, nondum moriemur, juvenes sumus, viri robusti sumus, senes adhuc vegeti sumus.* « Nihil enim ita decipit genus humanum, ait S. Hier. in epist. ad Cypr. quam quod dum ignorant sapientia vitæ suæ, longiore sibi sæculi hujus possessionem repromittunt: unde illud egregie dictum est, nullum tam senem esse, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicietur. » Verum seducentur miseri mortales, quia *mors non tardat*, et plerumque citius quam expectabant, advenit. Unde toties audimus dicere morientes: Si hoc scivissem aut prævidissem, bene hunc morbum præcavissem. Sed objiciunt isti: Hoc ipso, quod sciamus brevi adfuturam mortem, nobis jam gaudendum, opulandum, bibendum et lucrandum est: et quidem hodie, quia cras forte in sepulcro erimus, nec habemus quod rodamus. Ita sane loquuntur luronæ et ganeones quidem, Isa. XXII. *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Verum insana prorsus et stulta est hæc ratiocinatio, uti docet S. Augustinus, in Psal. VII. « Quid ais? inquit, repete. Manducemus, inquit, et bibamus, age quid postea dixisti? Cras enim moriemur. Teruisti, non seduxisti plane hoc ipso, quod postea dixisti, et præcessit, comedamus et bibamus; cum enim dixisses: Manducemus et bibamus, adjunxisti: Cras enim moriemur. Audi contra a me: Inno jejunemus et oremus, cras enim moriemur. » Videmus certe vinctos in carceribus,

qui crastino educendi sunt ad supplicium, nihil fere comedere aut certe nullo gustu, tametsi lauta et opipara eis apponantur: mortis enim imminentis memoria, acerrimum hoc sinapi, omnes eis epulas destituit, omnemque appetitum tollit. Idem accidit, si D. Ambrosium audimus, Davidi minime licet vincto, quando aquam e cisterna Bethlehem a tribus strenuis militibus per maxima vitæ pericula allatam noluit bibere, sed effudit in terram, II. Reg. XXIII. § X. *Eo quod, inquit Ambrosius, in apol. I. de David, cap. VII. aqua tot virorum quæsitæ sanguine, suavitate bibendi habere non posset, quæ præpositæ mortis horrore constaret.* Quasi placere non potuisset aquæ voluptas regi vitæ brevitatem præ oculis habenti. Et quid mirum? Tria tantum grana hujusmodi sinapis, tria, inquam, verba solum apposita fuere ad mensam regis Balthasaris conviventis cum optimatibus suis, *mane, thecel, phares*, scripta ad parietem, mortis omen regi et aulæ ejus denuntiantia; totum convivium disturbant, ut jam nemini quidquam saperet, sed præ horrore et metu omnes conturbati tremiscerent, Dan. V. Recentius est, quod scribit Philip. Daultreman, in pædag. christiano, p. I, c. VIII. § VI. (ex p. Cottono, serm. de morte) de quadam nobili domicella vanitate et libertati in tantum addicta, ut nullam graviorem poenitentiam a confessario admittere vellet, ad extremum tamen, ubi ille hanc unam ei imposuit, ut quoties manus lavaret, sibi ipsi diceret: *Hæc caro vermium esca erit; eam admisit et peregit.* Inde paulo post adeo immutata fuit, ut firmiter constituerit, saltem animam salvare, ne et ipsa una cum carne vermium esca fieret, atque exinde inculpatam vitam duxerit. Viderunt hoc vel ipsi gentiles Egyp-tii, qui in conviviis suis, quo temperantiæ et modestiæ memores essent, proponebant ligneum cadaver dicentes alter alteri: *In hunc intuens bibe et oblecta te, talis post mortem futurus, auctore Herodoto, lib. III. Quid videtur vobis? Nonne isti surgent in judicio et Christianos accusabunt, qui in suis conviviis omnem piam cogitationem quam longissime a se arcent?*

IV. *Redde rationem.* Ultimum hoc sinapi est, quod claudere solet convivium: symbola hospiti solvenda pro mensa laute instructa. Id enim necessario præstandum esse testatur Ecclesiastes, cap. XI. qui cum dixisset: *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præteritæ.* Quam pauci vivunt annis multis? Quanto pauciores in iis omnibus lætantur? Sed esto, demus juvenibus tot talesque annos. Quid tum? *Lætare ergo*

juvenis, addit, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Amarum est hoc sinapi, amara ironia, quasi dicat hospes potatoribus: Læti et hilares estote, comessamini, inebriamini; quia tandem ad rationes vocabo, et caro solvetis pretio, quæ abliguristis. Nota est inventio Dionysii tyranni, qua Damoclem assentatorem suum, a quo beatus prædicabatur, regio in convivio assidere fecit, nudato tamen gladio supra caput ejus tenui filo suspensio; quo viso assentator ne gustare quidem delicias tametsi admoneretur variis illecebris, ulla ratione potuit, quia gladius ipsi immittens omne gaudium interturbavit. Et quid aliud est convivium et qualecumque gaudium mundanorum hominum? Numquid enim timor judicii divini strictissimi eis non impendit? Numquid de omni verbo otioso, de omni holo et haustu superfluo, de luxu non necessario, de projectis micis et pauperi subtractis rationem reddent? Numquid horam nesciunt, qua is gladius in se casurus sit? Bene ergo S. Nilus monuit in parænesi scribens: *Luge peccatorem felicem, gladius enim justitiæ ipsi imminet.* Quod Dionysius gladii aspectui insinuavit assentatori, hoc Deus olim populo suo inculcavit tubæ sonitu ad eorum epulas edendo, Num. X. ubi imprimis inflari tubas jubet, exeuntes ad prælium, deinde sedentes ad convivium: « Si quando habebitis epulum et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis, ut sint in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester. » Causam adfert Rabanus. « Id factum, inquit, ut in prosperis et adversis eadem semper sollicitudo pulset animum nostrum, et ita nobis in summa rerum prosperitate sciamus formidandum, sicuti timere etiam in bello fortissimi et prudentissimi consuevere. » Sed cur in rebus prosperis formidandum? Ad quid ibi tuba, nisi quia tuba judicii divini semper in auribus nostris resonare debet? Absque enim timore illius judicii essemus, quid metuere possumus? Illi ergo sonitus condire epulas debent et luxum cohibere, uti monet D. Hieronymus, in regula monach. tit. de timore ultimi judicii: *Sive leges, ait, sive dormies, sive scribes, sive vigilabis, Amos semper tibi buccina in auribus sonet.* Quænam illa buccina Amos? Illa utique de qua ipse, c. II. § II. vaticinatur in persona Dei: *Mittam ignem in Moab, (ignem conflagrationis in mundum carnalem et impium) et devorabit ædes Carioth, (h. e. urbium) et morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ; illius intelligo, quæ evocabit homines ad judicium. Sonet igitur hæc tuba,*

etiam in auribus vestris, auditores præsertim cum in conviviis estis. Condiant hæc quatuor sinapi omnes cibos vestros; et nihil vobis nocent.

CONCIO III.

VIA AD REGNUM COELORUM UNDE AMARITUDINE REPLETA.

I. Provenit ex consideratione præsentis exilii. — II. Ex impiorum persecutione. — III. Ex natura nostra corrupta. — IV. Ex peccatis propriis et alienis. — V. Ex ærumnis hujus vitæ.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis
Matth. XIII.

Posset hodiernum evangelium non sine causa aliquos terrore, et a regni cælorum desiderio etiam absterere, si ut sonant verba, crude intelligeretur. Quis enim laborabit pro illo regno, si nil aliud nisi sinapi et fermentum est? Illud enim asperam acrimoniam, hoc etiam amaritudinem continet. Verum non tam crasse tractandum est hoc evangelium. Per regnum enim cælorum Christus hic intelligit viam ad cælum, quæ est vita christiana ad normam evangelii instituta. Non est insuetus, etiam vulgo, hic loquendi modus, accipiendi viam pro termino. Mediolanensi in civitate porta, quæ Romam ducit, appellatur Romana: Viennæ, porta, quæ ad Carinthos ducit, vocatur Carinthiaca. Neque tamen illa Romæ, nec ista est in Carinthia, quinimo multo et præalti montes superandi tibi sunt, donec Mediolano Romam, et Vienna venias in Carinthiam. Pari ratione licet vita christiana vocetur regnum cælorum, quia eo ducit, multa tamen amaritudo degustanda est, priusquam eo venias. Quare nunc videndum unde potissimum proveniat illa amaritudo, quæ deprehenditur in via cæli.

I. Provenit hæc amaritudo primo, ex consideratione præsentis exilii, et absentis patriæ. Quis enim nescit dulcem esse patriam, et peregrinum extra illam esse, quasi piscem extra aquam, aviculam in cavea inclusam, brachium luxatum, quibus bene esse non potest, donec loco suo nativo restitatur? Adad ille Idumæis armis Davidis pulsus e patria et in Ægyptum profugus, tametsi ibidem a rege Ægypti blandissime haberetur, et sororem reginæ accepisset in uxorem, ubi intellexit mortuo Salomone patere sibi reditum in patriam, nil nisi patriam cogitabat, eamque repetebat dicens regi: *Dimitte me ut vadam*

in terram meam. Et cum Pharaon responderet: *Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire in terram tuam?* Nulla, inquit, sed obsecro te ut dimittas me, III. Regum XI. Erat Idumæa tota aspera et montosa regio, quia tamen patria Adadi erat, ideo tantopere ab ipso expedita fuit. Quid igitur solatii, imo quid non amaritudinis habeat peregrinus, qui in exilio male habetur, et a felicissima terra exulat? Hujusmodi patria beata est cælum, terra vero exilium plenum miseriis, morbis, paupertate, querelis. Quomodo igitur hic bene erit iis, qui ad cælum contendunt? Omnia, quæ in terra sunt, etiam sibi propria, velut aliena aspiciunt: et ut S. Chrysostomus, hom. XXIV. in epistola ad Hebræos ait: *Ab eis pendent tamquam ab externis:* uti peregrini ab aliena domo, fonte, arboris umbra, etc. unde pro illis nec altercantur, nec solliciti sunt, nec pecunias colligunt. Ita Jacob in Ægypto peregrinatus apud filium Josephum, moriens mandavit, ut ipsius ossa transferrentur in terram promissionis, nec vel mortuus quiesceret extra patriam suam, Gen. XLIX. Quid non deliciarum habuit, vel saltem habere potuit in regno suo David rex? Cujus enim sunt optima quæque nisi regum? Et tamen ipse ait Ps. XXXVIII. *Lacrymas meas ne sileas, quoniam advoca sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Et rursus quasi non haberet in terra propriam domum, Psal. CXVIII. *Incola ego sum in terra.* Tales denique Hebræi ducti in Babylonem, qui jussi canere carmina sua, præ mœrore non poterant, Psal. CXXXVI. velut aviculæ recens captæ, et caveis inclusæ. Sumus quidem omnes peregrini in terra, et patriam habemus cælum, verum sicut Hebræi in Babylone exules, perique in exilio constituere sibi patriam, ducentes ibi uxores alienigenas, ementes fundos et domos, ideoque facta redeundi in Judæam licentia, in Babylone remanserunt: duæ tantum tribus, Juda et Benjamin cum sacerdotibus et levitis, reversæ sunt, I. Esdr. I. ita contingit in hoc misere terræ exilio: plerique se hic affigunt, et cives mundi fiunt, ideoque ad patriam suam non aspirant, qui jam quasi valedixerunt. Alii licet ad patriam cælestem anhelant, quia tamen Deum minus ferventer amant, blanditiis quibusdam deliniti, (instar Dinæ, Gen. XXXIV.) licet cum aliquo tædio hinc utcumque libenter hærent, ideo exilii hujus amaritudinem minus sentiunt.

II. Ex impiorum persecutione, in quorum medio habitant, qui ad cælum contendunt. Mundus ex contrariis elementis, elementa ex contrariis qualitatibus constant; hinc inter ea pugnae, tempestates, terræ motus, diluvia, incendia; quia levata sursum, graviora volunt ira deorsum. Par

ratio inter cæli et terræ cives. Cum enim justi in cælum velut in patriam tendant, mali vero in Babylone hujus mundi patriam sibi deligant, hinc inter utrosque (præsertim amicos et cognatos) odium et persecutio, quia quid illi oderunt, hoc isti amant, et e contra. Hebræi in Ægypto mactabant et sacrificabant oves, quas Ægyptii colebant velut quid divinum, adeoque mactari nolebant: hinc inter eos mutuum odium. Unde Moyses: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro; quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent,* Exod. VIII. Ita etiam justi mactant et contemnant ea, quæ hujus mundi sectatores amant et colunt velut numina, opes, voluptates, honores, etc. Quæ isti abominantur, uti jejunia, cilicia, humiliationem, persecutiones, labores, contemptum, paupertatem, etc. illi amant et sectantur. Hinc Cain contra Abel, Ismael contra Isaac, Esau contra Jacob, Agar contra Saram, fratres contra Josephum, Saul contra Davidem. Quamdiu Magdalena cum mundo sentiebat, munde se comibat, (licet ei offendiculum esset) nihil prorsus convicii a mundo patiebatur. At ubi stylum vertit, et calcato mundi fastu ad pietatem se composuit, statim adversarium et censorem sentit Pharisæum, deinde Judam, et postremo mundum totum. Saulus dum adhuc sentiret cum incredulis Judæis et Christi persecutoribus, nihil ab eis adversi tulit; at ubi se Christianis junxit, et Christum prædicavit, hinc innumeræ tempestates in eum detinuerunt. Ergo pii hic inter prædones et scorpiones ambulant, quid mirum si hæc via fiat ipsis amara? Non sine variis præliis potuere filii Israel intrare promissionis terram: nec ad cælum justi sine persecutionibus perveniunt.

III. Ex natura nostra corrupta, cujus cupiditates necessario frænari et mortificari debent, si ad cælum evolare velimus; id vero sine difficultate et amaritudine fieri nequit. Est enim homo compositus ex anima rationali et corpore, quasi ex angelo et bruto, v. g. equo, admodum inter se oppositis, cum anima inclinet ad bona spiritualia, corpus ad sensibilia: illa sursum, hoc deorsum tendat. Ad hæc cum anima rationalis carni mortali inserta sit, nec nisi per sensus rerum formas apprehendat, hinc sensibilia et præsentia clare et perfecte, spiritualia vero et bona vitæ futuræ, velut absentia, obscure et confuse apprehendit, et quod hinc sequitur, fortius trahitur et fertur in amorem sensibilibum, quam spiritualium. Quibus accedit quod natura humana per peccatum sit, non solum sibi et suis cupiditatibus relicta, sed insuper valde corrupta

et depravata, factusque equus petulans quasi et effrænis. Hinc illa difficultas in refrænanda carne ejusque cupiditatibus, in quas tam potenter fertur. Frænum equo injiciendum, pabulum minuendum, voluptas prohibenda, flagra addenda, ne in perniciem nos trahat. Equa Bajazetis imp. Turcarum, qua cursu celerrimo fugit Tamerlanem, cum in fuga transiens fluvium æstuansque siti largius bibisset, inde gravior facta, herum hosti insequenti prodidit, a quo miser postea in caveam ferream compactus est, auctore Chalcondyla, lib. III. sic continget nobis, si carni nostræ indulgeamus, quas desiderat voluptates; perdet enim nos et in hostium manus tradet, juxta id Ecclesiastici XVIII. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* At vere dilectam conjugem ita dure accipere et cupitis prohibere deliciis, quis non amarum esse videt? Sic enim Adam in statu naturæ adhuc integræ noluit contristare Evam suam, quin ejus voluntati pareret: quid nimirum si in hoc statu naturæ corruptæ difficultatem habeat? Durum absque dubio atque amarum fuit Abraham, quando jussus fuit primo, quidem circumcidere filium suum Isaac, hoc est, risum (id enim sonat Isaac) et gaudium unicuique solatium suum; ac multo magis quando postea etiam immolare. Nihil mitius videtur propriæ carni præcidere appetitus suos eamque mortificare ut sectetur quæ non placent, fugiat quæ placent. Nihil enim hoc aliud est, quam docere canem, ut naturam suam exuat, panem ori oppositum non tangat, retro solum incedat, non præ currat, latratum cohibeat, aliaque fere humana obsequia ad nutum homini præstet: quid non minus mirum ac laboriosum est?

IV. Ex peccatis partim propriis, partim alienis. Cum enim a peccatis omnibus immunes esse etiam justi nequeant, eaque luendas ibi pœnas habeant nisi hic expientur, hinc existit nova amaritudo lacrymarum scilicet et pœnitentiæ, partim ob offensum summum bonum, partim ob reatus pœnæ contractos; hinc sibi dicunt illud Jerem. II. *Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* At licet justi solum peccata levia admittant, ea tamen in se graviter redarguunt et multis lacrymis expianda sibi existimant. Sanctus Pacomius abbas injuria affectus, nonnihil inde commotus fuit, ab omni tamen verborum injuria abstinuit, sequente vero nocte eam commotionem tantis lacrymis depuloravit, quasi gravissimorum scelerum reus foret, ut in ejus vita, 14. maii, Lipel. Sancta Catharina Sennensis verbum unum, non ex animi sententia, sed per jocum aliquid asserendo pro-